

A & humore crassiore cōfecta: Excluduntur enim primo pinguia, dehinc sangui nolenta cum stercore coagulato. Nos deniq; tenesmon dyfenterix adiungen-
 dā probamus: siquidē sit ulceratio partis intestini, nisi quis uoluerit ante ulcera-
 tionē solum tumorē appellare tenesmon: quod est quidē inconsequens omniū
 scribentium dictis, quibus tenesimus necessariō fuit prouidendus, ut sola proter
 uitate medicamina pota danda alacri temeritate confingant: sed etiam nobilium
 multi, ut Diocles libris quos de passionibus atq; causis, & curationibus scripsit,
 lacordinat cum melle bibendū, uentrem prouocās in fluorē. Item murrhā cum
 ouis atq; uino cōmixtam, cū necessariō stomachū murrha euertere uideatur. Itē
 utitur ptisana cū adipe forbēda: Itē galla cum opio, neq; discretionē qualitatū,
 neq; temporū memorans usum. Praxagoras libro primo Curationum statuit
 uentrem deducendum peplio & lacte plurimo, cum mulso, potans & aqua sal-
 sa, & succo betæ, & oleo cum mulso. Hoc condimento iniiciēs, & oleo, & liqui-
 do cerotario cum aqua, quibus uenter magis in fluorem prouocatur. Itē nutrit
 bis cocto pane, qui sit necessariō digestionē difficilis, cum plurimū torretur. Itē
 piscibus saxatilibus, & carnibus teneris, cū debuerit densioribus magis ob strin-
 gendam solutionē: Dat aquam bibendā, & uinum dulce, quod etiam sanos in-
 flare perspicitur. Offert farinā cum lacte coctā, quæ indigestibilis probatur: Sic
 etiam tritici ptisana cum cantabro. Ordināt etiā secundam & tertiam curationē,
 nullam adijciens discretionē. Item Erasistratus secundo libro de uentre plurima
 recte componens, solis utitur constrictiuis, cum sint plurimi dyfenterici laxatio-
 ne indigentes. Themison primo libro Tardarū passionū plurima recte memora-
 uit, aliqua uero correctione indigētia: Laxamenti enim causa, atq; lapsus facien-
 diaquæ, & arnoglossæ succo iniectionē faciendam probat, & hoc aptum etiam
 tumoribus memorat, quod ob cōstrictionē siccare perspicit. Adhihet etiā nari-
 bus atq; auribus, & angulis oculorū sanguinis detractionē, nihil propositis pro-
 futura, & post cibum unctionē, quo tempore quies est adhibenda, ob digestio-
 nis perficiendæ facilitatē. Dat etiam uinum asperius, cum fluorem uehemente-
 scere uiderit atq; febrem. Et meratū probat offerendum, quo tempore ob aug-
 mentum passionis aqua uino infecta conueniat, maxime cum merata potio ue-
 xare neruos approbetur, quos Græci cremasteras uocauerunt.

Tenesmos dyf-
 enterici un-
 gitur.

Diocles.
 Myrrha.

Praxagoras.

Erasistratus.

Themison.

ερεμαστῆρας

DE COLICIS PASSIONIBVS. CAP: VII.

Principium huius capituli deest.

Concurrat præterea grauedo, sitis fastidium, & incessante passione, siue acces-
 sionis tempore articulorum frigidus torpor & liuor, attestante sudore: & men-
 tis hebetudo, cum pulsus paruitate ac densitate. Item sequitur singultus, & uen-
 tris abstinētia, aut cum dolore egestio urinæ reddendæ difficultas, capitis gra-
 uedo, intestinorum rugitus scatens, quem Græci borborigmon uocant, & aug-
 mento passionis uomitus humorum crassorum, quos Græci phlegmata uocāt,
 tum felineorum, cum tensione membranæ quæ uentrem intra cutem circunte-
 git, & appellata est peritoneon, quæ perseverans faciat inflationis causa resonū
 tympani, cum palma fuerint loca pulsata: Tum extantia cum rugitu plurimo,
 & dimissionis tempore uenti per podicem egestio cum magno sonitu. Ac si tu-
 mor fuerit insidens atque roboratus, erit extantia durior, ac puluoso attestante
 feruore, cuius circumspectio simplex, sed inæqualis esse uidebitur: quod discer-
 nitur

βορβοριγμόν
 φλέγματα

K nitur